



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ZAMBOANGENSIS**

(**PAGADIANENSIS**)* DETRACTIS QUIBUS DAM TERRITORIIS AB ARCHIDIOECESI ZAMBOANGENSI, NOVA
CONDITUR DIOECESIS, NOMINE «PAGADIANENSIS». Ut fidelium necessitatibus, curis suis ac laboribus
commissorum, apte prospiceretur utque subsidia iisdem praeberentur opportune ad facilius largiusque semen illud quod
est verbum Dei (cf. *Luc.* 8, 11) serendum, censuit venerabilis Frater Linus Gonzaga et Rasdesales, Archiepiscopus
Zamboangensis, optimum esse si ex perampla sua archidioecesi alia de more excitaretur dioecesis. Quod consilium
cum, post auditum Episcoporum Insularum Philippinarum coetum, ut ad rem adduceretur ab Apostolica Sede petierit,
nos, audito hoc super negotio venerabili Fratre Carmelo Rocco, Archiepiscopo titulo Iustinianopolitano in Galatia et in
Insulis Philippinis Apostolico Nuntio, atque Sacra Congregatione pro Episcopis, sequentia decernimus ac iubemus. Ab
archidioecesi Zamboangensi territorium paroeciarum separamus, quibus per vulgus appellatio Pagadíán cum Libangan,
Dimataling cum Tabina et Midsahip, Dinas, San Miguel, Dumalinao, San Pablo, Tukuran, Aurora, Domingag, Mahayag,
Molave, Ramon Magsaysay, Tambulig, iisque novam dioecesim condimus, *Pagadianensem* appellandam iisdemque
circumscribendam finibus ac paroeciae quas diximus. Sic constitue Ecclesia metropolitanae Sedi Zamboangensi
suffraganea erit, sic ut eius Episcopus eiusdem Sedis Metropolitae; episcopalem sedem in urbe vulgo Pagadíán habebit,
ac templum cathedrale in sacra aede ibidem exstante, Sanctissimo Nomini Iesu sacra. Mandamus praeterea ut,
quoadusque per alias sub plumbo Litteras Canonorum collegium non condatur, consultores dioecesanos Episcopus
deligat, ad normam iuris canonici; item seminarium struat, servatis praescriptis iuris canonici, normis decreti *Concili*
Vaticani II «*Optatam totius*» atque peculiaribus Sacrae Congregationis pro educatione catholica normis; cuius seminarii
selectos iuvenes, sive virtutibus sive ingenio praestantes, Romam mittat, ad Pontificium Collegium Seminarium
Philippinum, philosophicis theologicisque disciplinis imbuendos. Ad mensam episcopalem quod attinet, eam constituent
Curiae emoluments, fidelium sponte oblatae pecuniae bonaque quae ab normam canonis 1500 Codicis Innis Canonici
eidem dioecesi obvenient. Quod vero spectat dioecesis regimen, administrationem, vicarii capitularis electionem, fidelium
iura et onera idque genus cetera, sacri canones adamussim serventur. Acta denique et documenta constitutam
dioecesim spectantia a Curia Zamboangensi ad Pagadianensem transferantur, in tabulario religiose custodienda. Haec
quae praescriptsimus ad effectum adducat venerabilis Frater Carmelus Rocco, quem diximus, vel ab eo delegatus
sacerdos; qui autem negotium perfecerit sueta documenta exaranda curet ad Sacramque Congregationem pro Episcopis
quam primum mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse
et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam
obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam
iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat;

quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive mane exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri nono.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI

S. Congr. pro Episcopis Praefectus

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regenslophus Del Ton, Protonot. Apost.

Eugenius Sevi, Protonot.

Apost.

*A.A.S., vol. LXIV (1972), n. 4, pp. 274-275 © Copyright 1971 - Libreria Editrice Vaticana